



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Instrvctio R.P. Ignatii Balsamonis Societatis Iesu,
Theologi. De Perfectione Religiosa, Et De Vera Recte
Orandi & meditandi methodo**

Balsamo, Ignazio

Coloniæ Agrippinæ, 1612

Quomodo oporteat orare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48888](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48888)

4. SANCTI ET SANCTAE ad quos maiori deuotione afficitur, quos ad suum arbitrium quisque poterit deligere.

5. SANCTVS siue Patronus loci in quo viuit, & Angelus, cui loci eius cura commissa est.

6. SANCTI diei præsentis.

Religiosi poterunt his quoque annumerare primum Ordinis sui Institutorem.

QUOMODO NOS OPORTET petere.

VT ea quæ petimus facilius & expeditius assequamur, tria hæc non parum momenti adferent. *Primum est*, si in petendo tres Theologicas virtutes actu exerceamus: Fidē; considerādo Deum omnia posse. Spē; Considerando summā illius bonitatem, atq; inde desiderium & fiduciam petitionis nostræ obtinenda concipiendo, Charitatem; postulando ea duntaxat ad purum Dei honorem, & nostram proximorumque salutem. *Secundum est* in petendo uti obse-

obsecrationibus, qualibus in Litanijs
& supplicationibus Ecclesie vtimur.
Tertium est, adijcere quoque sancto-
rum merita & intercessionem, qui
ea quæ nos haudquaquam meremur,
facilius nobis impetrare possint.

*QVID DEBEAMVS OF-
ferre & quomodo.*

OFFERRE nos oportet Deo
cuncta quæ nobis largitus est,
& indies largitur: esse, vitam, ani-
mam, corpus, bona externa, cogitati-
ones, verba, opera. Item, Unigeni-
tum ipsius Filium, præciosissimum e-
ius sanguinem, passionem, mortem,
merita, actiones. Item omnia bona
opera Beatissimæ Virginis Mariæ,
sanctorum & electorum omnium,
atque totius Ecclesie à mundi exor-
dio.

Omnia vero hæc possumus offer-
re cum pro nobismetipsis, tum pro
alijs, generatim & speciatim, eodem
modo, quo dictum est, de gratiarum
actione & petitione.

Sunt